

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Oratio De Ortu, Vitae Curriculum Et Beata ex his terris migratione Reverendi viri Pietate, Eruditione, Sapientia & rerum usu praestantis Christophori Binderi Abbatis Adelbergensis**

**Hermann, Christoph**

**Tübingae, 1597**

Parentalia in obitum, [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-131212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-131212)

P A R E N T A -  
L I A I N O B I -  
T V M,

R E V E R E N D I E T  
*Clarissimi viri, Domini M. CHRISTO-  
PHORI BINDERI, Abbatis Monasterij  
Adelbergensis dignissimi, Ecclesiarum  
Ducatus VVirtembergici Super-  
attendentis Generalis &  
Consiliarij Ducis fi-  
delissimi piè pla-  
cideq; de-  
functi,*

I N

Signum desiderij luctuosissimi, & testi-  
ficationem animi grati atque  
memoris, scripta

A

*Viris Reuerendis & Clarissimis.*



## Εἰς Ἀιδεσίμου Τελεῦτην

Ἀδελπεργαίου Ἀββᾶ, Κυρίου Χριστοφόρου  
 τε Πινδῆρου.

**Ε**ὐχάδεις τὸν θεῖον κατὰ γαῖα γέροντα καλύπτες:  
 Χριστοφόρον Πινδῆρον, ἐν Χριστοῖο Φορῆα:  
 Χριστιδότην, παγίως πῶς τε Χριστένδον ὄρθῃ.  
 Πόλλ' ὁ νέους, λαὸν τε θεοῦ πᾶμπολλον, ὄφελεν:  
 ὡς Ἀββᾶ, καὶ πνευματικῆ πατὴρ, ἀξίον ἔστιν.  
 Αὐτὸς ἐμ' ἐδυσκέως (ἐνάτ' ὅ πελε νῦν ἐνιαυτός)  
 ὀψείοντά, ῥ' Ἀδελπεργῆς Λόρχης τε, Φίλεσκε.  
 τοῦ μὲν σῶμα πόνοις ὄρουφεν, καὶ γῆραι μακρῶ,  
 ἀσπασίως κοίμησιν ἔχει, μέσφ' ἀν πάλ' ἐγερθῆ:  
 ψυχῇ δ' ἐνθὺ μάκαιρα θεοπτίας ἀπολαύει.

## IDEM LATINE.

**H**oc sunt membra senis venerandi tecta sepulchro:  
 Christophori, Christum gestantis corde fideli:  
 Binderi, Christum firmè credendo ligantis.  
 Ille Scholis, Christiꝯ, gregi, fuit utilis hospes:  
 Se præbens Abbam verè, patremqꝯ, benignum.  
 Quàm fuit ille fauens (annus propè nonus abit nunc)  
 Latus Adelbergam quando, Lorchamqꝯ, petebam!  
 Eius nunc corpus senioꝯ, laborqꝯ, fractum:  
 Dum tuba lata sonet, fruitur requiete placento:  
 Aspectuꝯ, Dei gaudet nunc spiritus almo.

Martinus Crusius, Acad. Tybing.  
 Professor: τεχθεῖς 19. Septem-  
 bris, 1526.

Scilli-

**S** Cilicet ut docto scribant quid Apolline dignum,  
 Carminaque extremos effugitura rogos,  
 Illi audent animos etiam sibi poscere lætos,  
 Qui sunt Pegaseis ebria turba vadis:  
 Ergo ego quid tento? luctu heu quid fractus acerbo  
 Molior? Aonias quid tunc fatigo Deas?  
 Quis ego, quæque mihi, vix dicta utrinque salute,  
 Pridem etiam pleno diximus ore vale.  
 Quæ vel saltanti duræ sua plectra recusant,  
 Hæne ego mœsticiæ nunc adhibebo meæ?  
 Sed valeant Musæ: haud Hymenæia festa paramus,  
 Festa medusæis exhilaranda jocis;  
**CHRISTOPHORI** mortem **BINDERI** plangimus: hic nos  
 Hic, inquam, ad præsens luctus adegit opus.  
 Horrida materia est: & quam si forte canamus  
 Horridius, vitio vertere nemo queat.  
 Ne tamen offendant metro asperiore legentem,  
 Quæ procul à Clarijs scribo remotus aquis,  
 Scribere qui iussit luctus, curauerit ipse,  
 Humectans lacrymis arida scripta pijs.  
 Vos igitur gemini fratres, mea sidera, ocelli,  
 Vos ego Pierij fontis habebō loco:  
 Vos Heliconæ mihi totum præstatis, & omnes  
 Quas adhibere solet cætera turba Deas.  
 Ergo agite officio vigilantes intendite vestro,  
 Nec cessate meas imbre rigare genas:  
 Imbre rigate genas, qui decidat inde, simulque  
 Et chartam & chartis illita metra riget.  
 Sed quid opus lachrymas velle extorquere rogando,  
 Quas pridem largo flumine sponte datis?  
 F Sponte

Sponte datis, quas iure datis: ut iure daretis,  
Binderus varijs præstitit ecce modis.

EST mihi, sitque diu pater, opto, superstes ADAMVS,  
O mihi vel toto charior orbe pater:  
Cui nunc Vltzhofæ dum calica semina spargit,  
Plus quam ter decies semina reddit ager.  
Hic mihi Nuringæ quando olim ageretur uterque,  
Tu templum erudiens sed meus ille scholam,  
Quanto ipsum fueris, *Præsul sanctissime*, semper  
Complexus studio, quanque favore pio,  
Quæque animi dederis etiam documenta benigni,  
O quoties memori rettulit ore pater!  
Fallor, an & prima hinc à te desponsa marita est,  
*Margaris Assumo* virgo parente fata?  
O quanto Horoldos tum Hymen dignatus honore est:  
O quantum hinc dies attulit ista decus:  
Dum sociata patri *Assumi* germana Iohannis,  
Fecit ut affines nos vocet ille suos.  
*Assum* Antistes Hohenloæ dignissimus aulae,  
Weickershemiacos quâ Tubar intrat agros.  
*Assum*, quem fausti voluit Deus ominis ergo  
Germanum Latij nomen habere soni:  
Quare etenim, cui sincere sint dogmata cordi  
Sincera; *Assum*, assum, dicere iure potest.  
Quare virum, qui sincere sincera ministrat  
E cathedra, *Assum*, assum, dicere iure potest.  
Quare virum, qui sincere sincera professus,  
Aduersas perima voce manuque strophas,  
Siue has calua cohors, monstri seu lerna latini  
Proferat; *Assum*, assum, dicere iure potest.

Quæ-

Quære virum, qui sinceris sincera sequatur  
 Moribus, *Assum*, assum, dicere iure potest.  
 Assum mente sagax, verbis cœlestibus acer,  
 Eximius studijs, integritate probus:  
 Quo vix Christicolæ pastores inter ouilis,  
 Maiorem agnouit Francica terra virum.  
 Sed quo digredior? dignas huic dicere laudes,  
 Ingenij alterius, alteriusque loci est.  
 Sit docuisse satis, quanto, Bindere, triumphem  
 Affine, officio subueniente tuo.  
 Quaque vel hoc uno, si desint cætera, vinclo  
 Manibus obstrictus sim maneamque tuis.  
 Sed propius venio: quam tanto affine bearas,  
 Affinis domui factus & ipse meæ, es;  
 Dum nostro, superis bene fortunantibus, *Assum*  
 Priuignam jungis, vir reuerende, tuam.  
 Nomine quæ varijsque tuam virtutibus æquat  
 Sponsam, Abrahame; tuam & cœce Thobæe, nurû:  
 Vtranque interea vincens: puta pluribus illam  
 Pignoribus, primo ast hanc bene nupta, thoro.  
 Det Deus ut numerans actos cum coniuge mensēs  
 Hoc quoque vinco, olim dicat, utranque loco.  
 Ad te regredior, Bindere pijssime, qui nos  
 Quo propius, melius tangere suctus eras.  
 Nec, quia conditio dispar, te nubibus æquans,  
 Abdidit exiguo meque meosque loco;  
 Ipse altus tenues aspernabaris amicos,  
 Vnde tibi nec opes, nec caperetur honos:  
 Sed veluti ratio quos cuiuscunque tenoris,  
 Fecerat ulla tuos fassus es esse tuos;  
 Sic ubi consiliōne tuos operāne potesses  
 (Et multum poteras) amplificare graui,

Nulla tibi illuſit ceruice occaſio calua,  
 Præbebas facilem pronus ubique manum.  
 Exemplum præſtans equidem laudabile: at huius  
 Heu imitatoreſ hoc tempore rarus agit.  
 Nempe hæc fortunæ eſt, quam ſanguini, amicior ætas:  
 Penſat & affines utilitate ſuos.  
 Non ornare, ſed ornari plerique laborant,  
 Et magis vnde petant, quam unde petantur, amant.  
 Quo minus ergo hodie (quæ ſunt faſtidia vulgi)  
 Conſtat amicitia pauperioris honos,  
 Hoc mage, qui tanto feliciter uſus amico  
 Te fueram, ipſe meæ fortis & artis homo,  
 Quoque etiam porro uſurus, per triſtia fata  
 Silicuiſſet, eram, non licuiſſe queror.

S V N T tamen hæc priuata: quibus, ſi ſola fuiſſent,  
 Priuatim poterant imaduiffe genæ.  
 At qualem quantumque virum Res perdidit cheu  
 Publica: & heu quantum Teccia terra decus?  
 Hic ego Mæonio vellem conſurgere verſu  
 Poſſe, ruique tua, Phœbe canore, lyra;  
 Vt meritis condigna ſuis præconia texam,  
 Commemoremque ſtylo grandia facta pari.  
 Sed neque vota valent; nec junctus Apollini Homerus  
 Sufficit in laudes, Vir venerande, tuas.  
 Multa tibi paſſim, tibi magna iniuncta fuerunt  
 Munia. grande humeros undique preſſit onus:  
 Dum curam ſchola docta tuam ſibi vindicat: à te  
 Dum ſanctum paſci poſcit ouile Dei:  
 Et dum te cauſis etiam grauioribus addit  
 Indiga conſilij Curia sæpe tui:

NIL

Nil erat istorum, quo non spem viceris omnem,  
Mille modis spartam condecorando tuam.

TESTIS Adelberga est, per bis tria lustra, duasque  
Messēs, Abbatem te venerata suum:  
Abbatem vere: quid enim deposcere patrem  
Filius, aut pater huic exhibuisse potest,  
Quod sibi non æquè contingere senserit, Abba  
Optime, sub sceptro plebs studiosa tuo?  
Non refero (& possēt magna cum laude referri)  
Quæ fuerit mentis sollicitudo tuæ  
Ne vel tantillum defraudaretur alumnus,  
Concessa à Ducibus commoditate pijs;  
Siue cibos ea, siue merum, seu cætera spectet,  
Quis usus vitæ quotidianus eget:  
Sed sanctam dico curam, studiumque paternum,  
Informandi animos, qua decet arte, rudes.  
Nam quia literulas nihil est didicisse profanas,  
Neglecta veri cognitione Dei,  
Et nihil est nouisse Deum, aut hoc velle videri,  
Ni solida notum quis pietate colat;  
Huc intentus eras, tenera ut succresceret ætas  
Aucta simul studijs, moribus aucta bonis.  
Hinc schola nomen habens iam pridem Nobile, verè  
Te demum Abbate est nobilitata suo:  
Teque sibi crepto tristi modo funere, priscum  
Vix aliquid nomen quo tueatur habet.

SOLA quidem Abbatem schola te pro more vocabat;  
At non experta est te schola sola patrem:  
Sed studio affectuque pari diuersa per arua  
Commissum Christi pastor ouile foues.

CHRISTOPHORVM hic verè præstans, qui diceris: omen  
 Quippe solet nomen sæpe referre suum.  
 Nam ceu Tharsiacus iactabat Apostolus olim,  
 Se præter Christum scire, docere, nihil;  
 Sic neque tu proprij populo figmenta cerebri  
 (Qualia Calvinus, qualia Papa parit)  
 Non obrudebas spinosa ænigmata, quæ nil  
 Ignorasse nocet, nil didicisse iuuat:  
 Sed Christum proponebas: Christum ore ferebas:  
 Quidque tentabas dicere Christus erat.  
 • Hunc tu monstrabas, qua religione fideque  
 Debeat apprehendi, qua pietate coli;  
 Quicquid fide appensus, sancto quid pectore cultus,  
 Præstet cultori (ô commoda quanta) pio.  
 Ista quidem in genere: hinc curæ te mille fatigant  
 Circa commissi singula membra gregis,  
 Perdita dum quaris, dum abiecta reducis, & ægra  
 Sanas, fracta ligas, languida consolidas.  
 Ignavis stimulos, calcar currentibus addis,  
 Eritis afflictos, corripis ore malos.  
 ORE quidem; sed non solo: verum omnis eodem  
 Spectabat vitæ semita trita tuæ.

AN frustra vulgum monitis cœlestibus vrget,  
 Qui erudiens alios permanet ipse rudis.  
 Qui furtum prohibet, fur ipse: & supra gehennæ  
 Addicens, vetitos polluit ipse thoros.  
 Quique execratus fictum simulacra Deorum,  
 Sacrilego vero detrahit ore Deo.  
 Scilicet hoc verè est læua dispergere rursus,  
 Quæ dextra fuerant ædificata manu.

Hoc

Hoc est blasphemis cœlestia Numina sannis,  
Excipere atque alijs excipienda dare.

Quod faciant illi, leuitas quibus improba cordi,  
Mancipium stygij quos iuuat esse lupi,

Tu melius: cuius primis constanter ab annis,  
Cùm fuerit veræ mens pietatis amans,

Non animo vultus, non vultûi sermo, nec unquam  
Sermoni vita est dissona visa tuo.

Ingens virtutum est numerus; memorabileque agmen,  
Mille harum species, nomina mille ferunt:

At nulla est, quæ non altè radicibus actis

Corde infixâ tuo sancte vir, usque foret.

Nulla tuo quæ non è vultu eluxerit; aut quæ

Non fuerit linguæ quotidiana tuæ.

Nulla etiam, quam non tua vita expresserit omnis;

Vita sine sceleris labe peracta mali.

Non tua vesano turgebant pectora fastu:

Non stimulabat opum te male suada fames.

Non habitum, mensasue tuas infecerat ullus,

Magnarum luxus dilapidator opum.

Non plenis certare cadis, laudemque bibendo

Quærere; non vetitos sollicitare thoros;

Non oculis tibi vicinûm spectare malignis

Fortunam, aut famam rodere, moris erat.

Quin ita viuebas ætatem, ut in omnibus esses

Exemplar sancti, sanctus & ipse, gregis.

Nec modo nemo bonus male, sed quoque pessimus ho-

Non poterat de te quam bona quæque loqui.

HINC adeo à multis dignum te censuit annis,

Et Dux es magni curia tota Ducis,

Qui

Qui non pastorem tantùm, vigilemque fidelem,  
 Vnius aut pagi aut unius urbis agas;  
 Sed *Superintendens Generalis* (Episcopon Hellas  
 Dicat) Collegis iussus adesse tribus,  
 Vnâ omnes regeres & oues ouiumque Magistros  
 Wirtembergiaci quos fouet ora soli.  
 Huic, ego, si officio qua tu pietate fideque  
 Per septem adfueris lustra, referre velim,  
 Ante graui oppressæ succumbent pondere vires,  
 Quam subeat portum nostra carina suum.  
 Hic scopus, hæc cura una tibi curare, pium quod  
 Officium & pietas officiosa iubet.  
 Quid doceant discantque, quibus sua moribus ornent  
 Dogmata, pastorum cum grege quisque suo,  
 Inuestigabas; trutinans æqua omnia lance:  
 Nec nisi recta probans, nec nisi praua notans.  
 Hinc tua tantillum ut censura recederet unquam,  
 Extenuando bonum, aut dissimulando malum,  
 Non abs te species ulla impetrare, nec ipsi  
 Affectus poterant (nec petière) tui;  
 Non amor aut odium: quamuis odisse malignè  
 Quem velles, præter crimina nemo fuit.  
 Asper eras vitij, scelerumque acerrimus hostis:  
 Cætera perfacilis, cætera mitis eras.  
 Quaque pios poteras cunque arte iuuare, iuuabas:  
 Subsidium sponte his consiliumque ferens.

QVIN etiam externis haud rarò in finibus errans,  
 Auxilium Christi sensit ouile tuum.  
 Testatum hoc faciunt Peligardi mœnia montis:  
 Et quæ Thyrigetes rura colonus arat.

Vtra-

Vtraque legatum loca te vidēre iuuantem,  
 Sincerum sanctæ religionis opus.  
 Sic oras intra patriæ telluris, & extra  
 Præstabas sancto commoda mille gregi.

Nec mirum potuisse: amplum bene dirigit agmen,  
 Priuatam docta qui regit arte domum.  
 Hac tu pollebas, palma hac decorandus in arte,  
 Præ multis hominum millibus unus eras.  
 Non etenim Sathanæ blasphemum dogma probabas,  
 Quod reprobat thalami fœdera casta sacri.  
 Aufoniæ probet hoc obscænum dedecus urbis  
 Papa; probent rasi de grege olente capri.  
 Qui vetitis malunt furtim complexibus uti,  
 Tendereque illicitis retia spurca thoris,  
 Quàm sua corda pijs obnoxia reddere curis,  
 Quas debet sociæ vir, soboliq̃ue pater.  
 Non ita tu Bindere: tibi perdulce mariti,  
 Dulce tibi nomen quippe parentis erat:  
 Ergo nec horrebas fidi, dum fata sinebant,  
 Munus obire viri, munus obire patris.  
 Nec tamen ingentes hæredibus æris aceruos  
 Linquere, erat curæ summa caputque tuæ;  
 Sed potius, qua tu Christum pietate colebas,  
 Hac ut idem faceret, te duce, tota domus.  
 Aspirat felix sanctis conatibus aura:  
 Cedit & ex voto res cumulata tuo.  
 Multa tibi binæ (partim acquisita priore  
 Coniugio, partim te genitore fata)  
 Vxores dederant fœcundi pignora lecti,  
 Hic mihi per numeros haud referenda suos;

G

Omni-

Omnibus hisce, duos si demseris inde, fauore  
 Numinis, auxilio sed mediante tuo,  
 Non modò pastorem Christum cognoscere, & huius  
 Dulcia cum reliquo septa subire grege,  
 Verùm & Christicolas herbis cœlestibus agnos  
 Pascere, pastori aut nubere posse datum est.  
 Et viuente datum est, & te spectante, simulque  
 Captante hinc pleno gaudia mille sinu.  
 Ah quoties vos conspexit (res digna relatu)  
 Hora in diuersis vna eademque locis,  
 Dum undenos inter generos nuruumque maritos,  
 Quorum commissas quisque docebat oues,  
 Tu pater ascendis cathedram bisseus in altam,  
 Sparfurus simili cœlica iussa fide!  
 Fortunate senex, cuius domus undique cincta  
 Frugiferis veluti vitibus ulmus erat.  
 Fortunate senex, cui tot succrescere ramis  
 Contigerat, sacra quot Palladis arbor habet,  
 Quorum non unam tantùm fragrantia mensam,  
 Teutonicos passim sed refocillat agros.  
 Scilicet à Domino manet hæc benedictio iustos,  
 Qui vera Dominum religione colunt:  
 Eius & obseruant gressu præscripta sequaci.  
 Intenti sanctis nocte dieque vijs.  
 Hisce Ducem potius se quàm comitem addere Noster;  
 Nec petere exemplum, sed dare fuetus erat.  
 Plura hic adiecturus eram (nam plura super sunt)  
 In laudes, domus ó Binderiana, tuas:  
 Verùm & Collegij non ultima gloria vestri,  
*Assum* facundo iam dedit ista stylo;  
 Et mea speratum iam pridem ad littus anhelant  
 Carbasa: quò ventus me vocat ergo sequar.

CON-

CONSULTATVRI, quo posset Marte iuuari  
 Cincta pharetratis Pannonis ora Getis,  
 Cæsar & Imperij Proceres cum Cæsare sacri,  
 Conuentum ante annos instituere duos:  
 Hic ubi Danubio iungens sua flumina Rhegus,  
 Mœnia ponenda de Rate dicta lauat.  
 Noluit à cœtu hoc, nec debuit, acer abesse  
 Wirtembergiaci Dux Fridericus agri.  
 Noluit ast illis idem hic, nec debuit, addi  
 Vel solus, solis vel comitatus equis,  
 Atq; equitum turbâ, quorum est haud ultimus usus,  
 Et pompam & sumtus multiplicare graues:  
 Sed quia magnarum tractanda negocia rerum,  
 Nouerat, imperij pendeat unde salus,  
 Hos sibi præcipuè Dux illustrissimus aptos,  
 Susceptæ comites censuit esse viæ,  
 Quos longus rerum iam declarauerat usus,  
 Consilio magnos iudicioque graues;  
 Et quorum perspecta satis prudentia posset,  
 Auxilio in dubijs casibus esse Duci.  
 Scilicet hoc sapere est, sibi non sapuisse videri  
 Plus nimio; aut capiti fidere ubique suo:  
 Verùm alios etiam, si causa hoc ardua poscat,  
 Consilij docili mente adhibere viros.  
 Quantumuis namque ingenio quis polleat acri,  
 Vel Pylum vincens mente sagace senem,  
 Nemo tamen casus sibi sufficit unus in omnes;  
 Nemo quid expediat solus ubique videt:  
 Sæpe vident oculi, quod non vidisset ocellus;  
 Sæpe vident proceres non ita visa Duci,  
 Consultit imperio, populo Dux consultit omni,  
 Sapius & vitæ consultit ergo suæ

Qui nihil in magnis tentat malè prouidus ausis,  
 Donec cordatos consulat ante viros:  
 Et demum à grauibus grauiter consulta pieque,  
 Esse rata effectu pone sequente iubet.

Hoc, Bindere, tuus sollerti pectore Princeps,  
 Expendens Rhegi Pyrga vetusta subit,  
 Agmine stipatus procerum sapiente suorum,  
 Quos inter magnum tu quoque nomen habes.  
 Et meritò: quid namque locus desideret iste,  
 Cuius defuerit copia larga tibi?  
 Si decus exposcas oris venerabile dudum,  
 Reddiderat sanctum cana senecta caput.  
 Exigitur doctæ sapientia prouida mentis:  
 Iudicij nemo te grauitate prior.  
 Incorrupta fides pietasque requiritur, aliam  
 In patriam & patrium relligiosa Ducem;  
 Hic verò tu magnus eras; hac parte triumphum  
 Ducebas; similem hic vix reperire fuit.  
 Multos hoc videas æuo (scelus igne piandum)  
 Quos à consilijs nomen habere iuuat;  
 Consilium à Domino si forte rogentur, honori hic  
 Priuato; turpi consulit ille lucro:  
 Rara auis est, quem animo iuuat indagare sagaci,  
 Utile quid patriæ situe salubre Duci:  
 Rarior, è re qui patriæque Ducisque futurum,  
 Quod videt, admoneat protinus ore graui;  
 Si in primis videat Domini in contraria raptam,  
 Mentem à iudicio discrepuisse suo.  
 Scilicet unus agit plerunque in deuia ventus,  
 Affectum Regis consiliumque gregis.

Grata magis, quàm iusta; mage utile quàm, quòd hone-  
 Consulere in medium maxima turba solet. (stum,  
 Turba tibi absimilis multùm, cui pectus ab istis,  
 Innocuum vitijs omnibus usque fuit.  
 Non incerta fero, & quæ rerum forte peritus,  
 In dubium lector jure vocare queat:  
 Per tres annorum decades expertus, & ultra,  
 Quæ sit consilij visque fidesque tui,  
 Tecciaci nouit venerabilis ordo Senatus,  
 Dicere me factis verba minora tuis.  
 Non tua sed patriæ quærebas commoda terræ  
 Publica, priuatis anteferenda bonis.  
 Commoda quærebas: sed verè commoda, non quæ  
 Fucata speciem commoditatis habent.  
 Et tanta interea pariunt incommoda, quanti  
 Præstita commoditas haud redimenda fuit.  
 Qualia sunt, ubi turpe lucrum præfertur honesto,  
 Vis juri, & legi praua cupido bonæ;  
 Qualia nunc passim caulæ meditantur & aulæ  
 Consilia, auctori heu perniciosâ suo.  
 Credite mortales, jactura haud tristior ulla est,  
 Quàm mala quod dedit ars, jure negante, lucrum.  
 Dulce lucrum primò, verùm exitiale lucranti  
 Spe bona, re mala dat; castra dat, astra rapit.  
 Castra dat: at Diuùm superaddita præcauet ira,  
 Vt data dent Domino gaudia nulla malo:  
 Vtque olim, meritas poscunt dum Numina pœnas,  
 Quo veniunt pereant non bene parta modo.  
 Venari cœlestis opes ante omnia regni;  
 Iura ministrare hinc ciuibus æqua suis;  
 Præmia justitiæ, sceleri decernere pœnas;  
 Marte ferire malos, arte iuuare bonos;

Non male de quoquam, bene de quocunque mereri;  
 Exilio luxum plectere perpetuo;  
 Hæc sunt quæ largum conquirunt Regibus aurum,  
 Hæc sunt quæsitum quæ cumulare iuuant.  
 Huc conferto suas age Consiliarius artes,  
 Si quis auet Dominis utilis esse suis.  
 Sic, venerande senex, juris tu cultor & æqui,  
 Hæc eadem ut colerent omnibus autor eras.  
 Non spes fœda lucri tibi, non metus ullus iniquè  
 Sortis, non precium, blandicies uè precum  
 Persuasere unquam, latum hinc digressus ad unguem,  
 Ut titulo velles utilis esse malo.  
 Ast ubi se ratio procul ostendisset honesta  
 Augendi patriæ, jure fauente, bona,  
 Commodaq; haud prima modo commoda fronte, sed  
 Fulgura auspicijs commodiora suis; (olim  
 Hanc tu præ multis primus, Bindere, videbas;  
 Hic oculis Lynceus, pectore Nestor eras.  
 Primus & obscura minitantem nube procellam  
 Prospicere, & poteras arte cauere malum.  
 Est aliquid præsens dextrè euitare periculum;  
 At qui venturum præcauet, ille sapit.  
 Cætera quid memorem, quibus hos, qui rebus agendis  
 Magnorum intersunt consilijsque Ducum,  
 Instructos decet esse? tibi hic non ulla facultas,  
 Non laus cordati defuit ulla viri.

ERGO Duci, cum tam variè tua cognita virtus,  
 Exque omni fuerit parte probata fides,  
 Quis te vel primum comitem miretur eunti  
 Tractandæ summam spemque fuisse rei?

magnus honos: sed onus quoq; grande senilibus annis,  
 Quos rude donatos viuere tempus erat.  
 Forsitan optabas etiam temploque scholæque,  
 Consuetas operas posse locare domi.  
 Oblatumque alijs, quibus experientia maior  
 Iudice te fuerit, cedere sponte locum:  
 Sed non is Binderus erat, cui hic parcere posset  
 Wirtembergiacus, si sibi parcat, ager.  
 Sed non is Binderus erat, qui publica vellet,  
 Commoda vel vitæ posthabuisse suæ.  
 Ergo alacer, quò te non gloria vana vocabat,  
 Sed patriæ utilitas imperiumque Ducis,  
 Pergis; & ut rutilum spargens fax cerea lumen,  
 Paulatim officio deficit ipsa suo;  
 Sic & tu, senio pridem confectus & annis,  
 Bindere, ô terræ fida columna tuæ,  
 Dum magis, à te quid poscat Respublica, pensas,  
 Quàm corpus possit quid tolerare tuum,  
 Illi operam præstas, quàm durior abnuis isti:  
 Vt patriæ profis est tibi vile mori.  
 Inde domum, idem animo; at multum mutatus ab illo  
 Corpore, quod patriam liquerat ante, redis;  
 Languida membra trahens, fractosq; laboribus artus:  
 Nec leuior fractos excipit aura domi.  
 Quælibet imminuit superatas corporis, auget  
 Heu morbi vires quælibet hora noui:  
 Et iam nuda tribus spondet colus ocia Parcis;  
 Iam Libitina tuas pulsât iniqua fores.  
  
 INTEREA coniunx anus, heu mœstissima coniunx,  
 Aut hos aut similes ciulat ore sonos:

Hoc

Hoc erat, hoc dubia quòd tum quoq; mente timebam,  
 Cùm primum infelix præciperetur iter:  
 Quoque abitum propior lux maturare jubebat,  
 Hoc mage dirigit pectus anile metu.  
 Ah quoties dixi, meus es: mihi fœdere junctus  
 Perpete: abire meo non licet absque sua.  
 Ah quoties dixi; annorum, Bindere, tuorum  
 Esto memor; non est, qui fuit ante, vigor.  
 Iunior, & solidis pollens bene viribus, ætas  
 Pro patria huc illuc irrequieta ruat:  
 Fessa ministerio senibus sunt corpora longo,  
 Et requie poscunt, quam meruère, frui.  
 Ah quoties dixi: non quæ sibi commoda de te  
 Patria promittit, me renuente capit.  
 Sis pius in patriam; sed sic pius esse labora,  
 Ne miseræ pietas flenda sit ista mihi.  
 Acceptam tibi se referat Respublica saluam;  
 Si pars saluatæ saluus & ipse manes.  
 Consule principibus, dilecte marite; sed una  
 Consule quæso mihi, consule quæso tibi.  
 Hæc ego; sed furdo: cœpto tu tramite pergens  
 Vtilior cuiuis, quam mihi, quamque tibi, es.  
 O utinam Vngaricas quo primùm tempore terras,  
 Armato perijt milite Turca ferox,  
 Aut hunc ætherio delapsus ab axe cremasset  
 Ignis; ut olim hostes, magne Propheta, tuos:  
 Aut, ut Amorrhæo procreti sanguine Reges,  
 Grandine prostratus percutiente foret:  
 Castra vel angelici replessent cædibus enses,  
 Quæ fuit Assyrio cognita pœna Duci:  
 Aut Geticas, ceu Niliacas quondam æquora, turmas  
 Danubius rapidis inuoluisset aquis:

Ant

Aut, cuius subito Korah est absorptus hiatu,  
 Has quoque sub pedibus rupta vorasset humus:  
 Denique vel proprio per mutua vulnera Marte,  
 Cum Lothi occisæ posteritate forent:  
 Aut hoc, aut simili ô si, Turcica, clade perissent,  
 Nondum Pannonio castra recepta solo;  
 Tum neque comitijs Rhegi urbs populosa vacasset,  
 Arua nec, ô coniunx, Boia aditurus eras.  
 Tum nec ego fractum morbi languore maligni  
 Flerem oculis, animo ah flebiliora timens.  
 Non nego, quin lassum fuerit tibi corpus ituro:  
 Sit tamen ah reducis, sicut euntis erat.  
 Esse tibi videam vires, quas esse videbam;  
 Contigerit metam nostra querela suam.  
 At tu, dum solita patriæ fide & arte mederis,  
 Ipse cadis medicis languida præda viris.  
 Heu medicis falso dictis: illi omnia tentant,  
 Sentitur morbo nulla medula tuo.  
 Si, nisi quem reuocant à morte Machaonis artes,  
 Nemo superstes erit, nemo superstes erit.  
 Quid tamen heu mihi fata parant crudelia? quis me  
 Expectat miseram casus acerbis animum?  
 Num pede, quo cœpit quondã, heu constanter iniqua,  
 In mea nunc Lachesis damna redire parat?  
 Horret ah & refugit mens tot meminisse dolorum,  
 Nec licet hos siccis enumerare genis.  
*Riexingerus* erat virtute & stemmate clarus,  
 Quo mea primùm olim zona recincta viro est;  
 Mors decus inuidit tantùm: rapiensque maritum,  
 Mobilis est, dixit, nobilis ille thorus.  
 In viduum viduam *Geilingius* inde *Iohannes*,  
 Coniugij sancto iure cubile vocat.

H

Ille

Ille repurgati qui coelica semina verbi  
 Primus Tecciacis intulit acer agris:  
 Quem primis, quem postremis Lutherus in annis  
 Vt fratrem coluit, cui pater ipse fuit:  
 Qui comes Vlrici quondam Ducis exulis exul,  
 Pro Duce, pro Christo mille pericla tulit.  
 Quem sibi pastorem passim periere tot urbes,  
 Quem sibi pastorem tot petiere Duces:  
 Quid tamen hunc sincero animoque fideq; probatum,  
 Tot tantisque iuuat complacuisse viris?  
 Non minùs ille simul terras moriendo reliquit,  
 Meque & legitimi pignora multa thori:  
 Hic ego quid poteram rursus, quàm fundere mœstus  
 Cum precibus lacrymas, cum lacrymisque preces?  
 Quod poteram feci: flentem simul atque precantem  
 Respexit summi qui regit astra poli;  
 Respexit: matrique virum, sobolique parentem  
 Te dedit, ô verè virque paterque tuis.  
 Quàm mihi tum felix, & quàm bene nupta videbar?  
 Et verè felix, & bene nupta fui.  
 Quodque fui, extremam vitæ mansisse sub horam  
 Optabam: & votis annueram ipsa meis.  
 Huius ego lacrymas, dixi, moritura videbo:  
 Hic mea qui tandem lumina claudet erit.  
 Improba spes, quid non spondes mortalibus agris?  
 Quàm saepe augurio falleris ipsa tuo!  
 Quem mihi sera super certò post fata futurum  
 Credideram, exhaustis viribus ecce jacet.  
 Ecce jacet, qui dum staret templisque scholisque  
 Qui mihi qui patriæ firma columna fuit.  
 Hunc, nos à Geticis tutos præstare sagittis  
 Dum studet, heu telis mors petit atra suis.

Non

Non ego iam miror, si luctu & cadibus omnes,  
 Quos tangit, replet Turcicus ensis agros;  
 Qui tantum à nobis distans, tibi funeris, cheu,  
 Infandique mihi causa doloris adest.  
 Quid mihi nunc prodest, terras habitasse remotus,  
 Tam procul à terris, perdita Buda, tuis;  
 Si minus hic viduæ effugio miserabile nomen,  
 Quàm Vngaricæ matres Vngaricæque nurus?  
 Quo tamen heu labor, nimio perculsa dolore?  
 Quidque sibi auspicio vult mea lingua malo?  
 Absit ah, & Superi faxint ut longius absit  
 Funeris hora tibi, posthuma vita mihi.  
 Ipsa obeam potius, casu quàm vulnerer isto,  
 Fataque sint fatis nostra priora tuis.  
 Si Admeti vitam coniunx pia morte redemit;  
 Et mihi te liceat sospite, chare, mori.  
 Sin tua (quod nolim) iam fors quos debuit annos  
 Impleuit, vitæ si tibi finis adest;  
 Ne miseram ne me post te, dilecte, relinquant:  
 Sint mea funeribus funera iuncta tuis.  
 Viximus ambo simul, simul hinc migrabimus ambo,  
 Vna sit urna precor, quâs thorus unus erat.  
 Sufficit (ah nimium est) binos tumulasse maritos,  
 Et video binos ore rigasse thoros.  
 Qui superest, si me porro, nisi coniuge demto,  
 Ferre negat thalamus, nec viduam ille ferat.

T A L I B V S ægrotum coniunx miseranda fatigat,  
 Singulta mœstos sæpe morante sonos:  
 Nec minùs interea precibus ferit æthera: matris  
 Nec minùs exemplum tota imitata domus,

Pro Domini supplex patrisque superflite vita,  
 Plurima vota Deo, plura datura, dabat.  
 Vota dabat; sed vota, quibus contrarius esset  
 Tam cui, quàm pro quo crebra dabantur, erat.  
 Te, Bindere, Deus cuius bona sola voluntas  
 Sola sapit, sola & legis habenda loco est,  
 Euocat: ipse sequi promptus, plangentibus, istæ  
 Quid sibi, ais, lacrymæ, vota quid ista volunt?  
 Agnosco pietatis opus: sed inutile vobis;  
 Quodque mihi graue, si nos iuuaret, erat.  
 Mortis enim nullis cohibetur ut hora querelis,  
 Sic & eò melior, quò prior esse solet.  
 Nam quæ causa moræ? cœlum est quo morte locamur,  
 Terra relinquenda est; nunquid utrunque bonum?  
 Quid cito olympiaca gressu est contingere sedes,  
 Quàm citò perfecta posse salute frui?  
 Inque diu misera hac lacrymarum valle morari,  
 Quid nisi torturam sustinuisse diu?  
 Vt bene, nec malè sit nobis, votum omnibus unum est:  
 Hæc sua vota dolet, qui sua fata dolet.  
 Ista mihi primis ut erat mens semper ab annis,  
 Sic hodie causam, cur geminetur, habet.  
 Nam licet ipse etiam varijs sim agitatus in undis,  
 Multa dolenda ferens, multa timenda videns;  
 Si tamen hic conferre lubet ventura, videntur  
 Nostra secuturis anteferenda malis.  
 An numerum expectas horum? prius ergo memento,  
 Crimina per numeros commemorare suos,  
 Quis stulta indulgens Germanides ora meretur,  
 Vt mala cum tulerit plurima, plura ferat.  
 Par labor utrinque est: præstabit utrunque, profundi,  
 Qui poterit guttas enumerare maris.

Ridet,

Ridet, & hæc solito turba impia despicit ore,  
 Nec sua fata videt, nec prope visa timet:  
 At sibi nec primi metuit ferus incola mundi;  
 Non formidatas nec minùs hausit aquas.  
 Sulphureo Sodoma igne erat & peritura Gomorrha;  
 Nec tamen admonita hunc illa vel ista timet.  
 Quæ risit lacrymas Christi ventura dolentis,  
 Vrbs erat; ast hodie vix locus vrbs adest.  
 Nec Mahometigenis miserabilis Hellas ab armis,  
 Quàm secura fuit, tam quoque tuta fuit:  
 Et tu, quæ Germane, hodie metuenda negantur,  
 Ne tibi cras veniant fortè dolenda, caue.  
 Neûe mihi credas; nisi, quæ loquor, omnia pridem  
 Confirmat signis machina tota suis.  
 Astra, solum, & pontum testor: multa astra minantur,  
 Multa minatur humus, multa minantur aquæ.  
 Vtlerius dubitas? oculos circumfer in omnes,  
 Quos vel templa fouent vel politia, status:  
 Ipse mihi, hæc, dices, vix peius habere videntur  
 Possè, tamen peius mox habitura reor.  
 Papa furit, simul & vires acquirit eundo,  
 Quæ mala Caluini nomina secta gerit.  
 Quid nostri interea fratres? quasi nullus in armis  
 Hostis, nilque sacra litis in æde foret,  
 Ipsi odij etiam certant ciuilibus; ipsi  
 Prælia de paruis maxima sæpe mouent.  
 Turpe quidem dictu: at quid dissimulasse iuuabit,  
 Quod nec qui faciunt dissimulare queunt?  
 Turpe quidem dictu: at cur non hoc proh dolor ipsi  
 Qui faciunt factu turpius esse vident?  
 Plerique una quibus sua gloria gloria Christi,  
 Et lucrari homines debuit esse lacrum,

Vnum id, ut ingenio doctrinaque omnibus esse  
 Quod sunt (vel plus quam sunt) videantur, agunt.  
 Aut ut opes cumulent, magnosque lucrentur honores,  
 Voce lupum & calamo dissimulante fouent.  
 Adde quod, ut praestent praestanda fideliter illi;  
 Quos ouium curam Christus habere iubet;  
 Rara tamen voci pascenti accommodat aures,  
 Rarior huic viuit conuenienter ouis.  
 Pars omne irridet cuiusuis dogma ministri:  
 Prurimum sequitur pars male sana suum.  
 Caetera turba audit verbum, at sine fruge: professam  
 Ore, animi euertunt impietate fidem.  
 Grata Deo fugiunt; inuisa sequuntur aperte;  
 Et laudem à turpi crimine saepe perunt.  
 Hisce quid immincat studijs, quam ablatio verbi?  
 Contemptique fames exitiosa cibi?  
 Nec minus illustres discordia saeva per aulas,  
 Innumeris vitijs heu comes ire solet.  
 Sint sibi amicitijs prisca, sint sanguine juncti,  
 Sint fratres, tamen est gratia rara Ducum.  
 Quae sua sunt quaerunt passim; sed & o sua tantum:  
 Nec, sua quae non sunt, vique doloque petant.  
 Viuitur ex rapto, quo quisque potentior armis,  
 Hoc minus astrictus legibus esse cupit.  
 Utque alijs plerosque iuuat vim inferre, iuuare  
 Sic passos opera nemo decente solet.  
 Quod socijs renuunt, praestatur ab omnibus hosti:  
 Dissidijs nostrum Turca iuuatus ouat.  
 Urbibus hic ciues, & ciuibus exiit urbes,  
 Qua ruit: hos gladio sternit, at igne domos,  
 Non aetas illi curae, sexusue: cruentat  
 Foemina cum maribus, cum sene tela puer.

Nuptae

Nuptæ ante ora virûm, nuptarum ante ora maritû;  
 Patre cadit proles, prole vidente, pater.  
 Nec dum pax miseris: in humata cadauera quin &  
 Sæpè mouent auibus prælia, sæpe feris.  
 Hæc nos exemplis docuit vicinia mœstis,  
 Heu vereor proprio percipienda malo.  
 Nec furit hic solus: Sol, qua venit atque recedit,  
 Cernit, & in medijs gliscere bella plagis.  
 Bella homines truculenta: famem sed terra minatur  
 Aspera; terræ aër auxiliariis adest.  
 Hinc toties anni spem totius atque labores  
 Vna infelici fidere ah hora rapit.  
 Iamque ferè ex habitu fugiunt à vitibus uuæ;  
 Poma carent pomis; nec seges auget agros.  
 Quid loquar, hoc regnans quot passim tempore pestis  
 Corpora iam dederit, plura datura, neci?  
 Illa quidem reprobæ tristissima pœna cohorti,  
 Sed justis magni muneris instar adest.  
 Colligit hos Dominus, quos in loca tuta reponat,  
 Ne videant instans ore gemente malum.  
 In paradisiacis sed agant feliciter hortis,  
 Regnat ubi nullo mixta labore quies.  
 Hunc mea cum subeant etiam nunc lintea portum,  
 Ne doleat, vero qui mihi corde fauet.  
 Quin potius nostros, si qua potes, anxia turba,  
 Vix tamen hoc poteris, aspice læta rogos.  
 Vtque, comes mihi si ire nequis, haud tarda sequaris,  
 Quod facis, assidua voce precare Deum.  
 Quicquid enim iam sit, veniet lacrymabile tempus,  
 Quo vice mortis erit non potuisse mori.

H &amp; C

HÆC ita Binderus vero nimis ore locutus  
 Ad sibi consuetas vertitur inde preces:  
 Commendatque Deo cœtus ante omnia sacros,  
 Hos salua saltos ut velit esse fide.  
 Teutonibus hinc astris florere fauentibus oram  
 Immunem à gladio, peste, fameque cupit.  
 Tum viduæ, soboliq̄ue piæ, turbæque nepotum  
 Dat prece, quem nunquam non habuere, patrem.  
 Denique ab hoc recipi votis ardentibus optat,  
 Et superare animam sidera celsa suam.  
 Nec mora: fessa subit, dubium frater ne soporis  
 An sopor ipse ferat, lumina; frater erat.  
 Frater erat somni, qui, somnus & ipse vocari  
 Dignus, Bindero fata suprema parat:  
 Corporeque exutam mentem cœlestibus addens,  
 Poscit ad extremos terrea membra rogos.

QVALIS erat, quantusque fuit luctusque, dolorque,  
 Quò tua te planxit, sancte Iacobe, domus:  
 Aut quo, cum Samuel malè grato excederet orbe,  
 Indoluit populo terra habitata sacro:  
 Aut quo Christicolæ fidum fleuere ministrum,  
 Cum saxi primùm, post tegeretur humo:  
 Talibus ac tantis plangunt tua fata querelis,  
 Bindere, afflictæ membra relicta domus.  
 Plangunt fata sui quasi Iudicis atque Prophetæ,  
 Tecciaci ciues, Tecciaci proceres.  
 Te plangunt pia templa, scholæ; te plangit & omnis,  
 Sinceræ curam qui pietatis agit.  
 Et quis non doleat? siccis quis cernat ocellis,  
 Tot bona sub tumulo & tanta latere breui?

Mul-

Multorum instar eras unus, dum fata sinebant;  
 Multorum in te uno plangimus ergo necem.  
 Plangimus; at non te, quasi dura incommoda passum;  
 Cui mortem scimus grande fuisse lucrum:  
 Nos potius deflemus, & heu nos plangimus ipsos,  
 Nunc opera orbatos consilioque tuo.  
 Nos flemus, nostrosque, quibus mors ista piorum  
 Portendit magnum, Dij prohibere, malum.

At tu, quondam orbis, Bindere, ô gloria nostri,  
 Iam verò ætherei portio magna gregis;  
 Vtiliùs poteras equidem mundo esse superstes,  
 Vtiliùs moreris attamen ipse tibi.  
 Te mors exemit multis, quæ cernere quondam  
 Mors fuerant oculis quotidiana tuis.  
 Cumque his & solitas cùras, vigilesque labores  
 Finijit, & duri quicquid hic orbis habet.  
 Iamque tibi sedes fata exhibuere quietas:  
 Iam veræ vitæ gaudia vera capis:  
 Gaudia, quæ largo compensant fœnore, quicquid  
 Præstiterasue boni hic, pertulerasue mali.  
 Viue ergo, ætheriam dignissime viuere vitam:  
 Quemque premis pulchro vince nitore polum.  
 Mens agat ante Deum felix tua: peruolet orbem  
 Gloria: sub tumulo molliter ossa cubent.

*Augustinus Heroldus Vlyssicomæus,  
 Pastor VVeickershemius, defuncti  
 quondam affinis.*

I

Hac

## III.

## EPITAPHIUM.

**H**Ac pius Binder tumulatur urna,  
Cui malæ filum nimium secârunt  
Heu citò parca. Meliore fato

Dignior Abbas.

O fide quanta, pietate quanta  
Præful hic Christum coluit: Camænas  
Vnicus spretas; viduas senesque

Fouit & Irum.

Ergo nunc cælo potitur cupito,  
Et Dei vultu, alloquioque lætus,  
Angelos inter pius est beatos,

Conspiciendus.

*P. ergò parentabat priuignus M.  
Gosfridus Thum, Pastor Ecclesiæ  
Hedelfingensis.*

## IV.

**C**HRISTOPHORVS, CHRISTVM qui re gestauit  
& ore,

*Lustra decem atherij præco fidelis HERI,  
Vixit, seq; oculis nostris subtraxit: at arce  
Cernit HERVM superà de facie ad faciem.  
Sospes agit. sanusq; viget, mors compede membra  
Fessa licet fossa VINCIAT in fouca.  
Profiliet remora liberq; vegesq; tribunal  
Quando omnis iudex carnis in orbe locat.  
Iam mox id fiet, confidite nocte sepulti,  
Iam vestra erumpet lux quasi clara dies.*

CHRI-

CHRISTIFER haud cassus tu etiam num luce quiescis,  
 Flos tuus & virtus viuida germen agit.  
 Alter CHRISTOPHORVS nostræ decus Urbis & eni,  
 Te vetat, & stirpem BINDERIDAM, ille mori.  
 Succrescunt alacri virtute & mente Nepotes,  
 Musarum pulli, vota caterua DEO.  
 Fortunata Parens qui viuis in hisce superstes!  
 Tu capis à Natis quæ dederis Genitor.

M. Christophorus Donauerus  
 Ratisponensis, Ecclesiæ Pa-  
 triæ Minister, P. L.

## V.

## ELEGIA

DE OBITU EIVSDEM

AD

M. Godefridum Thum, apud Hedelfin-  
 genses, ad Nicrum, Ecclesiæ Mi-  
 nistrum, defuncti pri-  
 vignum.



ANCBOLLINGERI tibi Godefride salutem

A Bebenhusana fert Elegia domo.

Tristior incedit sparsis per colla capillis,

Plurima per vultum signa doloris habet.

Namque viros magnos deplorat lumine cassos,

Commoda qui studijs multa tulere suis.

MAVLBRONNÆ liquit vitales SCHROPPIVS auras,

SCHROPPIVS ore bonus consilijsque bonus.

I 2

Cla-

Clarus & ingenio clarus virtute paterna  
 BRENTIVS, Hirsaugis occidit ante diem.  
 Et iam communi tecum mea carmina luctu,  
 BINDERI deflent fata suprema tui.  
 Est antiqua domus quam fundauere Barones,  
 Mons quibus aprugnus nomen habere dedit:  
 Hanc ADELBERGAM dixerunt nomine voto,  
 Et sacris statuunt cultibus esse locum.  
 Hic fuit ille sacer Præsul super æthera notus,  
 Nomine qui Christi sic bene dictus erat.  
 Et fuit ille tibi sub pectore fidus amico  
 Vitricus, & domui firma columna tuæ.  
 Vt te prima nouem tenuit iam cura sororum,  
 Monstrauit facilem sedulus ille viam.  
 Pluribus & meritis auxit te deinde maritum,  
 Et patrio natos fouit amore tuos.  
 Sic & germano fratres tibi sanguine iuncti,  
 Tam carum lugent non superesse patrem.  
 CHRISTOPHORVS Christum qui prædicat ore disertio,  
 Influit Istriacis hic ubi Regus aquis.  
 Seruit & ad sacras qui ritè GEORGIVS aras,  
 Ducit ab ærisonis rus ubi nomen equis.  
 Et qui GEILINGA descendunt stirpe creati,  
 Omnes cum natis ingemuere suis.  
 Parcite tot lachrymis vestris, vestrisque querelis  
 Heu, nos Christicolas non decet iste dolor.  
 Præmissus, non amissus, post lapsa resurget  
 Tempora, quem flentes plangitis, ipse pater.  
 Interea subeat non contemnenda nepotum  
 Copia, defuncto quæ modò crescit auo.  
 Tres mihi BINDERI, fuit & mihi THVMIVS unus,  
 Discipulos inter pars bene grata meos.

Ibi

Hi mores & virtutes imitantur auitas,  
 Quique suum certant condecorare genus:  
 Sunt alij plures eiusdem gentis, & illos  
 Iam Schola certatim, iam pia templa, vocant.  
 Quod super est animo, *THVMMI* carissime, nostro  
 Nulla tibi noceant ut mala fata, vale.

*E Sch. Ill. Bebenhusana Vtricus  
 Bollingerus, Art. Mag. & P.  
 C. Anno, & c. 97.*

## VI.

**D***Vm TE* pura Dei Baptismatis Vnda videntem,  
 Luminis has oras lauerat amne sacro;  
**CHRISTOPHORI** esse Tibi nomen voluere parentes,  
 Scilicet ut **CHRISTO** iunctior inde fores.  
 Haud male consilium cecit: tua nomina rebus  
 Conuenere suis; nomini & omen inest.  
 Namq; **TVVM CHRISTVM** summo es complexus amore,  
 Fixisti inq; illum lumina sola **TVA**.  
 Huic corpus, mentem huic vitiorum à labe remotam  
 Addixti, à teneris facta probanda sequens.  
 Hinc ubi Gorgoneis pectus se immergere lymphis  
 Occipit, sectans castra, *Minerua*, tua:  
 Vnica erat **CHRISTVS** cunctorum meta laborum,  
 Antè oculos semper gloria, *CHRISTE*, tua.  
 Hanc solam assidue **TVA** mens quasi fuerat ardens,  
 Húc adspirasti corpore, mente simul.  
 Principium **CHRISTVS**. suscepti **CHRISTVS** acerbe  
 Finis sudoris: cetera lusus erant.  
 Hunc totà in vità *TV* purà es voce professus,  
 Lustra decem spargens dogmata sacra Dei.

Commisitq; ouibus porrexti pabula sana,  
 Adducens CHRISTO plurima corda tuo.  
 Errores nullos sparsisti; dogmata praua  
 Amplexus nulla es: mens TVA pura fuit.  
 Verborum odisti (fateor) TV mente probata  
 „ Maandros; fidei flumina pura petens.  
 Amplexus CHRISTI solius verba potentis,  
 Quae nobis pandit pagina sacra Dei.  
 Caetera spreuisti humana deliria mentis;  
 „ Verbo sola Dei mens pia tuta fiet.  
 Hinc tibi diuinos libros versare diurnâ,  
 Nocturnaq; manu maxima cura fuit.  
 Atq; sacros Patres studio peruolucere acuto,  
 Hinc fidei purae flumina pura tibi.  
 Has vitae lymphas teneret instillare iuuenta,  
 Adelbergae tua labor Vnus erat.  
 Quam sex lustra pijs atque unum grauius annum  
 Rexisti monitis consilioque graui.  
 Vtique fides fuerat sincera ac consona CHRISTO:  
 Sic tota & CHRISTO dedita vita fuit.  
 Non TE terrene ceperunt gaudia vitae  
 Ludrica sola fere quae modò Mundus amat.  
 Vixisti abstractus studijs, ea sola sequutus,  
 Prima homini aeternus quae iubet esse DEVS.  
**MENS** diuina hominis pars praesantissima: **MENTEM**  
 Qui politis scandit sidera ad alta Poli.  
 Adque Immortalem, mentem qui insper sit, amicus  
 Proximus accedit, diaque cuncta refert.  
 Huic mentes purae assistunt, huic Spiritus almus;  
 Hic faciem aeterni hoc nae quoque in orbe videt.  
 Colloquioque Dei fruitur, qui flumina dina  
 Coelestis Sophiae spargit ab axe suo.

Hinc

*Hinc mala si impellant, se seuus terreat Orcus,  
 Constans perdurat mens ea iuncta DEO.  
 Hanc TV curasti MENTE M, labor hic erat Vnus,  
 Ad bona diuina hinc est TIBI aperta via.  
 Diuitias quouis spreuisti tempore & aurum,  
 Diuitiæ CHRISTVS, cætera pauperies.  
 Nec Mundi stultos facile es sectatus honores;  
 Transit honos; MENTIS munera firma manent.  
 Nullius in vita es vocem aspernatus egentis:  
 Inuisti afflictos consilio atque fide.  
 Quid multis? SOLI fuerat pia debita CHRISTO  
 Vita TVA, hic solus semper in ore fuit.  
 Ergò velut CHRISTO vixisti; sic quoque CHRISTO  
 Mortuus es, superi portio facta chori.  
 Hic ubi nunc varijs TVA MENS defuncta periculis  
 Cum CHRISTO eternum gaudia summa capit.  
 Ergò vale & supero letus dominèris Olympo  
 Cum patre, cum gnato, flamine cumq; sacro.  
 At TV summe Parens, vera spes Vna salutis,  
 Auerte à nobis tristitia quæq; mala.  
 Effice sacra TIBI sit MENS, ut corpora sacra;  
 Quo simili pateant calica regna modo.  
 Ac post hæc misera superata pericula vite  
 Aeternas sedes ingrediamur, Amen.*

M. Iacobus Lucius Göppingen-  
 sis defuncti & in Ecclesia, &  
 in schola per annos quinque  
 cum semestri, collega.

AKPO-

## ΑΚΡΟΣΤΙΧΟΠΑΡΟΜΟΙΟΝ.

Χριστοφόροιο Χριστῆ	Χειμερίην	Χθόνα	Χωρεῖν
Ράβδλοφόροιο Ράβδμιζόντων Ρωμην		Ρεθέων	Ρα:
Ιμεροείηα	Ιού	Ισχειν	Ιησῆ
Σωτήρ⊙	Σκώληκα.	Σοφόν	Σκιοέντα
Τῶδε	Τάφον.	Τοῖστον	Τρισκακοδαίμονι Τρανόν
Οἴτω,	Οἶμοι,	Ολέσθαι:	Ολβιοδαίμονα
Φθείρεσθαι	Φθονερῶς.	Φεῦ	Φωτός
Οὔατ⊙	Οἶμοι	Ορηρῆ	Οικοις
Ρυθμιζονία	Ρά	Ρηματα	Ρεκτῆρ⊙
Οὐλύμωσ,	Οἶμοι,	Ολλεσθαι	Ομοίον
Σώφρονι	Συμβέλω	Σύμβελε	Συνάλγεις
Βινδύροιο	Βίοιο	Βίηφι	Βασαί
Ισοθέε	Ιερῆ⊙	Ιῶ	Ιρῆ
Νεκλάρεον	Νομικόν	Νικᾶν	Νεφέλην
Δεινόν	Δάκρυε	Δημοδιδάσκαλε	Δείγμα
Ηδμεπῆς	Ητλάσθαι	Ηρίε.	Ηδλανόν
Ρύβδην	Ραινώδεις	Ραινώδεις.	Ρήξατε
Ουρανόμηκες	Οδύρμα	Οδηγοί:	Οδύρσο
Σεινόταλ⊙	Σάφα:	Σεμναλόγησον	Σπείρα
Οψιγόνω	Ορθῶ	Οτι	Οψιμον
Αββα	Αρξεται	Αἶνον	Λειδίμεν
Βιθῆνθεργιακῆφι.	Βαδιζε	Βάδισμα	Βροτῶν
Βελτιτ⊙,	Βασιλῆν	Βλέπωε	Βροναίε
Αστεροειν:	Αψυχον	Ατάρ	Ατένιζεν
Σῶμα	Σαωτήρ⊙	Σάλαπιγγι	Σιοῖο
			Σιωπῆ.

M. Ioannes Wiclandus Nürtingensis,  
S.S. LL. Stud. & civis Tub. Academicus.

## VIII.

## EPITAPHIVM.

**H**ic situs est Præsul sincero pectore CHRISTVM,  
 Viuida qui vitæ per sua fata TVLIT.  
 Vimine concordi Templumq; Scolamq; LIGAVIT,  
 Diuinas plantans Relligionis opes.  
 Consilio totum iuuat prudente Ducatum  
 Semper, & hunc facili fouit vbique prece.  
 Iam vitâ functus CHRISTI gestatur in ulnis,  
 Vt CHRISTVM vitâ præditus ante TVLIT.  
 Ergo viator, abi felici percite gressu,  
 CHRISTOPHORVS CHRISTO viuit ouatq; svo.

*M. Laurentius Frisæus,  
 S.S. Theolog. Stud.*

## EPITAPHIA

A

Defuncti Nepotibus, pietatis ergò,  
 posita.

## IX.

*In ἀνώνυμον quendam calumniatorem.*

**B**Inderū dicunt homines, vel reprobus olim,  
 Calvinus qualis, Nestoriusque fuit.  
 Nusquā tuta fides, quid enim nisi vera fateri,  
 Aequum: virtuti nam comes inuidia est.  
 O mihi si tales liceat perstringere versu,  
 Te carmen tangat, perfide Momē meum,  
 Inuidiam ast quid sponte cano: iam desinet isthæc.  
 Deroget an laudi turba maligna viri?

K

Nun-

Nunquam se tali tellus iactabit alumno,  
 Cur? Candor, pietas falce resecta iacent.  
 Heu pietas, heu prisca fides, veneranda senecta,  
 O mihi contingat, rumpere fata eadem.  
 I decus, î nostrum, coelestia gaudia sume:  
 Sic Domino placuit: non equidem inuideo.  
 Tu Binderus eris rumpantur ut ilia Codrò,  
 Et vertat liuor viscera Mome tibi.

*M. Christophorus Binderus, Ross-  
 veldensis SS. Theolog. studiosus  
 Nepos.*

## X.

**H**eu quàm nostra nimium est dubia alea vita?  
 Quamq; breuis variat sapius hora vices?  
 Heu heu triste malum subitò fert fama per auras,  
 Heu inopina senis nuncia mortis Aui.  
 His moritur terris, qui spes, qui solus Asylum;  
 Postquam quinq; videt denaq; lustra senex.  
 Heu infesta dies multas dedit una querelas;  
 Vna mihi multi causa doloris erat.  
 Nunc venerande iaces, Aue Mi? nunc flebile funus?  
 Nunc sine voce caput, linguaq; muta tua est?  
 Iam sine te; sine Patre procul; sine Matre relinquer?  
 Heu oculi tristes nil nisi triste vident.  
 Sed quid sic nimio iuuat indulgere dolori?  
 Flebilibus lachrymis quem reuocamus humo?  
 Non mors longeuè venit immatura senecta:  
 Mors miserâ hac cunctos debita sorte necat.  
 Nunc inuenta quies; longi nunc meta laboris:  
 Sèpè optata modum fecit in orbe seni.

*Post-*

Postquam animas Christi plures sacranit ad Aram,  
 Et vigili fecit pectore vota DEO.  
 Libera mens curis caelo requiescit in alto,  
 Fessaq; iam dulcis lumina somnus habet.  
 Sit tibi qui cernis, sortiris, & omnia mutas,  
 Pro tot Auo donis, laus sine fine, DEVS.  
 Da qui cuncta potes, iungat se luce suprema  
 Mens, quæ nunc abijt, corpore leta suo.

Christophorus Binderus, Ra-  
 tisponensis Philosophia  
 stud. Nepos.

## XI.

**E**T nunc, Ô AVE mi, mortalibus abderis umbris,  
 Ingrediturque urnas optima canities.  
 Non ea spes animo: nam te immortale putabam  
 Numen, fucatis esse sub induuijs.  
 Ob pietatis opes, corpusque per omnia tale,  
 Quale ferunt Dijs olim habuisse animas.  
 At quas Ô lacrymas (mea enim me causa fefellit.)  
 Legerit ex oculis arida terra meis?  
 Adiecere suas Gnati, Generique, Nepotesque,  
 Et coniux, vacuo quæ iacet una thoro.  
 Et multa clatis pleno singultibus ore  
 Dixerunt, cineri magna futura tuo.  
 His, AVE mi, superaddo lubens TRIA verba doloris,  
 Quæ mihi & æterni symbola amoris erunt:  
 T Vper Mundanos fluctus CHRISTVMUSQ; FEREBAS:  
 CHRISTVS in ætherio TE vehet Eridano.

M. Ioan. Gotfridus Thum SS.  
 Theolog. stud. Nepos.

## XII.

**D**V**M** fera **B**IN**D**E**R**V**M**, nimum properantia **P**A-  
**T**RE**M**,

Lugubri ab **N**O**S**T**R**V**M** fata premunt obitu:

Quo non Tecciacis **A**B**B**A**S** vigilantior oris,

Qui gereret melius pontificale pedum

Præfuit: ingenti tristati funere nobis

Ab nobis, luctum quis minuet? gemimus:

Ecce **P**A**T**R**I**S Genius tacitis adremigat alis,

Et mæstos, dictis mollibus, alloquitur:

Ambiguas fluido secludite pectore curas,

Accipite, amissis fluctibus his, Animum:

Exiguo recubant **B**IN**D**E**R**I **M**E**M**B**R**A sepulcro,

Ara dolet virtis condita funereis:

Porticibus Cæli æthereis inuicta quadrigis

Dulcè **A**N**I**M**A**, in campis personat Elysiis

**G**L**O**R**I**A quadriuium, complens rumoribus orbem,

Veliuolo famam terminat Oceano.

Quid nos? gratamur. Niueis circumdata pennis,

**F**A**M**A polos tangat, celsior, astriferos.

Quæ **C**H**R**I**S**T**V**M tulit Hyberni, medio æquore, Mundi

Huic **A**N**I**M**A** optato, ver agat, in gremio.

Grata parentet humus, violasq; ad **M**E**M**B**R**A, recentes

Fundat: odoriferis, floreat urna Rosis.

**S**A**L**V**E** Magne pater: Manes **S**A**L**V**E**T**E** paterni

Æternum. En iterum, **S**A**L**V**E** **A**V**E**, **A**V**E** atq; **V**A**L**E.

Ioannes Augustinus Assu-  
mus, Weickhershemio-  
Tub. Nepos.

Dic

## XIII.

**D**ic mihi, de Nimpha quondam, vox sola superstes,  
 Quid tantum instituit flere colonus? Ech: onus.  
 Sed cur Aonio potati fonte queruntur,  
 Horum etiam luctus pectora quærit? Ech: erit.  
**B**INDERI forsân, qui præsulis atria seruat,  
 Morborum semen corpora lædit? Ech: edit.  
 Heu mihi sanitiem morbi populantis obibit,  
 Sincero ante omnes dogmate gnauus Ech: A V V S.  
 Heu mihi num patitur Gentilia numina Parcas,  
 Numina qui docuit vera timere? Ech: merè.  
 Annón ceu fidi pastoris munia mandant  
 Præbuit ille ouibus, pascua grata? Ech: rata.  
 Annón triste lupum stabulis, Phlegetontia monstra,  
 Degrege commisso, pellere fuerât? Ech: erat.  
 Annón si Sathanas lolium de nocte furenti  
 Sparsit agris, nouit cuncta domare? Ech: mare.  
 Annón dum vixit Iuuenum moderatus habenas  
 Odit mendaces, ora que glabra? Ech: labra.  
 Annón monstrauit, quâ mens virtute vigeret,  
 Musarum que sagax arua rigaret? Ech: aret.  
 Post hunc, dum gaudet scelerato excedere mundo,  
 Pauper ubique iacens cur ita clamat? Ech: amat.  
 Nunquid inops raptò hoc, reliquo est inuisior orbi,  
 Quam quem sacromatas Roma releget? Ech: eget.  
 Nunquid larga simul cessabunt munera? nunquid  
 Prompta manus miseris, hinc volitabit? Ech: abit.  
 Pro quibus officijs, pro qua pierate, micantis  
 Læta anima, ad cæli culmina, vadit? Ech: adit.

O si etiam nobis, cum fata subire necesse est,  
Det Pater, & Gnatus, det quoq; Flamen Ech: Amen.

*Ioannes Christophorus Schlayer,  
Hienricthaus, Philosophia  
studiosus, Nepos.*

## XIV.

**P**langite Pierides, cultorem plangite vestrum,  
Aony portum, confugiumq; Chori.  
Nam iacet egregijs animi virtutibus auctus,  
Qui tulit in Musas, maxima dona sacras:  
Gesit & Abbatibus, fido munimine, munus,  
Præstitit & munus, sacra docendo, sacrum.  
Dives Adelbergum, sublatum plangito donum,  
Nam tuus ille Pater mortis adiuit iter.  
Mortis adiuit iter vera pietatis Imago,  
Atq; sui fidus Tutor ubiq; gregis.  
Mortis adiuit iter miseri spes, atq; patronus,  
Cuius & extentam sensit Alumnus opem.  
Ergo Christigenæ madidis nunc ora rigate  
Fletibus, haud siccas nunc decet esse genas.  
Te merito luget iam VVirtembergica tellus,  
Et cum Pierio docta Tubinga Choro.  
O quantas lachrymas, quantum luctumq; creâsti,  
Dum vitale finis, optime, lumen, AVE?  
Sed quia flebilibus profundere verba querelis,  
Nil iuuat, & lachrymis ora rigare pijs:  
Tot valeant gemitus, tergamus pollice fletus,  
Non redunt mæstus, corpora humata, modis.  
His AVE mi valeas cælestibus utere donis,  
Cumq; Dei sanctis gaudia mille cape.

Ioan. Christ. Gailing, Nepos.

**E** Heu chare pater, cur nunc, vale, voce gemente  
 Dicis supremum? spesque decusque meum?  
 Quæso, quot Aonijs rectè insudare Camænis  
 Fecisti, & sacris inuigilare libris?  
 Verùm A V E Diue, quibus cœlo te laudibus æquem  
 Ofor eras vitij: ac integritatis amans.  
 Hinc tua gefferunt venerandos tempora canos:  
 Et vidère æui mitia fata sui.  
 At tu sancta cohors, totam dispersa per orbem,  
 Te nunc ferre decet pectora luctifica:  
 Sarciat ut damnum rutili regnator Olympi,  
 Innumeris precibus sollicitandus erit.  
 Verùm A V E chare vale, tutorque paterque fidelis,  
 Qui cum cælicolis gaudia læta capis.

*Theophilus Maccius VVeilhei-  
mensis, Nepos.*

## E P I T A P H I A

Pietatis & extremi honoris ergò  
 scripta

A  
*Defuncti olim discipulis.*

## XVI.



Vid scribam tamen, ô beate B I N D E R,  
 Et quo carmine te, tuasque laudes,  
 Tuamque omni jugam Eruditionem,  
 Et magnum pietatis illum amorem,  
 Et tot prætera potentiores,

Vir.

Virtutes animique, corporisque,  
Gratus discipulus, piusque dicam?

Sed non BINDERIANA teste virtus,  
Aut Præcone Fides eget disertio:  
Scit, & prædicat ore tota pleno  
Wirtebergia, Wirtebergiæque  
Coniuncti Alsatia incola feracis.  
Nec CHRISTVM pietas, fidesque magna  
BINDERI potuit latere nostri,  
Qui nunc pro pietate, pro fideque,  
Pro certaminibusque Christianis  
Dat victoriae habere dulce signum  
BINDERO ætheream bonus coronam.

Quid dicam tamen, ô beate BINDER,  
Et quo carmine, lachrymisque acerbis,  
Te, rectissime mystagoge CHRISTI,  
Et rectissime pædagoge CHRISTI,  
Digne Mathusalæ dies videre,  
Isthoc tempore luctuosiore  
Ereptum querar, inuidente fato?

Se ne gaudia parta, ne quietem  
BINDERO videar suam inuidere,  
Singultus reprimo, piumque fletum;  
Et tantum hoc doleoque, lugeoque  
Hoc cum BINDERIO occidisse nostro  
Candorem, sapientiam, fidemque.

*M. Iohannes Cunradus Visches,  
S. S. Theologie stud.*

*Quis*

## XVII.

**Q**uis dolor inuasit nouus anxia pectora? quæne  
 Cura coquit pressos ante dolore viros?  
 Fallor an infesto tolluntur Marte cohortes?  
 An rapit nocuos pestis anhela viros?  
 Fallor & infelix versat mea pectora curas  
 Necque datur causa vel tetigisse scopum?  
 Fallor, an ex vita super æthera scandit in altum,  
 VVirttembergiacæ fida columna domus?  
 Hem rem tangis acu, cecidit venerabilis Abbas  
 Binder, Tecciaca fida columna domus.  
 Ergò patres patriæ miseris ululate querelis,  
 Et tantum luctu condecorate virum.  
 Vos etiam matres lachrymarum fundite guttas,  
 Et vestro teneras rore rigate genas.  
 Hoc etenim sincerus amor, pietasq; reposcunt,  
 Hoc natura iubet, non vetat ipse DEVS.

M. Ernestus Kieferus, SS.  
 Theolog. stud.

## XVIII.

**S**iccine mors cæcis quoque te, Pater, occulit umbris?  
 Et libitina tuum mœsta cadauer habet?  
 Pro patria cui tanta imis vigilantia fibris  
 Sedit, & accepto pro grege, proque schola:  
 Cuius in unius sibi casta cubilia mente,  
 Nobile virtutum legerat omne genus,  
 O si equidem nostris cessissent Numina votis,  
 Staret adhuc plenâ næ tibi vita colo:  
 Quin etiam poterat grandæuo, Aurora, marito  
 Actatis laudem præripuisse tuo.

L

Sed

Sed quoniam vitæ res est ita viva Magistro,  
 Ad tumulum lachrymas hîc tibi libo pias:  
 Iustaquæ cum patria, tristi funebria luctu  
 Soluo, tui quondam pars quotacunque gregis.  
 Incipe luteolis sensim florescere calthis,  
 Et pingi niucis, horride cippe, rosis:  
 Donec Saluator menti sua corpora reddi  
 Imperet, extremo glorificanda die.

M. Casparus Hauserus,  
 S.S. Theol. stud.

## XIX.

**O** Diego, teste DEO, debellauig, profanos  
 Pontifices; testis Richovilla, & Teccia tellus,  
 Atq, urbès alia, quas non memorare necessum est:  
 Teccigena Andrea vario discrimine vitæ,  
 Me socium addideram, non inferiora secutus.  
 Odi Calvinos, odi deliria Cingli  
 Dum mihi vita fuit: pastores dicite testes  
 Et meministis enim, contestariq, potestis:  
 Nunc eadem exhalanti animam sententia menti:  
 Vos mihi presentes quicumque appello fateri,  
 Ante obitus coram vos hæc & singula fassum.  
 Interea dilecta vale mea patria tellus,  
 Relligione sacra semper mansura Lutheri:  
 Chara vale coniunx, generiq, valetè, meiq,  
 Natorum nati: mihi nil in honore relictum est,  
 Omnia soluisistis, vestros testantia luctus,  
 Parcite iam lacrimis: mihi iam fortuna peracta est.

M. Ioan. Wendelinus Bauhofius  
 Canstadiensis, SS. Theol. stud.  
 Dignum

## XX.

**D**ignum laude virum vitale relinquere lumen  
 Musa verat; miseram sed mortem Noster obiuit  
 Abbas Binderus: qui viuere dignior omni  
 Semper erat; pietatis amans; virtutis auitæ  
 Custos perpetuus; sinceræ religionis  
 Assiduus cultor; qui seruantissimus æqui,  
 Consilijsque potens, & prouidus autor agendis  
 Rebus erat; qui Wirtembergiacæque columna  
 Magna domus: fulcrum Templi: portusque Scholarum.  
 Ecce tamen moriens lumen vitale reliquit.  
 Id factum doleo, suspiriaque alta remitto.  
 Insuper at viuuit virtutum clarus honore.  
 Hoc lator. Quis enim non dicat viuere tantum,  
 Tamque grauem gelidæ mortis post fata: negabit  
 Nemo. Viuet, dum fuerit mihi vita; suumque  
 Dum Sol curriculum, & dum prouehet aurea Luna,  
 Semper honos, nomenque eius, laudesque manebunt.

*M. Iohannes VVell Kirchotec-  
 censs, S.S. Theolog. stud.*

## XXI.

**M**ansuetus iacet hac sepultus urna  
 BINDERVS, superi decus parentis:  
 Qui verè docuit Deum parentem,  
 Nomen CHRISTOPHORI piumque gessit.  
 Quid non Teutonici fuit ducatus  
 Et sacris, columen, Scholis ducatus?  
 Qui virtute pia, potentiaque  
 Wirtembergiacos fauore ciues  
 Inuuit consilio sereniore;

L 2

Siue

Siue de patrijs forent colonis,  
 Siue de reliqua subinde turbâ  
 Forent innumeræ procul querelæ,  
 Nec quidquam malè consulebat urbi.

Quid non pacificus fuit Sacerdos?  
 Quid non iustitiæ tenax auita,  
 Dignos supplicio graui fatigans  
 Conseruansque bonos, & innocentes  
 Curis sollicitis negocijsque,  
 Mansuetus veluti parens solebat.

Hinc gratus supero cluet parenti,  
 Hinc diuis meritò probatur altis,  
 Et vita fruitur Beatiore,  
 Post tot continuos diù labores,  
 Angoresque animi molestiores.

Ergò Neccaricæ (precor) camænæ  
 Gaudete ô simul, & pari tenore,  
 Patris post obitum, Nicri fluentis  
 Ad ripas modulis sonate carmen,  
 Dulci nectare, suaue, perpolitum:  
 Cælestes etenim capessit auras,  
 Inter siderias beatus auras  
 BINDERVS, placidè, vidensque longûm  
 Cæli delicias salubriores,  
 BINDERVS superi decus PARENTIS.

*M. Martinus Humelius S.S.  
 Theologiae studiosus.*

EPITAPHIVM.

XXII.

**Q** Vos cineres breuis urna tegat, cognosce VIATOR;  
 Hic ego BINDERVS cœnobiarcha cubo.

COE-

COENOBIVM petij quondam, tibi Christe sacratum,  
 COENOBIVM inueni, CHRISTE benigne, tuum.  
 COENOBII verus curavi fortiter ABBAS,  
 RVS, POPVLVM, atq; SCHOLAM, FALCE, SA-  
 LVTE, LIBRO.

COENOBII trado CORPVS nunc vermibus escam:  
 COENOBIVM COELI SPIRITVS inde petit.  
 Qui modò PONTIFICALI PEDVM TERRENVS  
 obibam:

Nunc gero COELESTIS SPIRITVALE PEDVM.  
 M. Erhardus Schuueighart, F.

## X XIII.

Mors tua Bauhofi si cedere morte fuisset  
 Fas, Bindere pater viuis in orbe fores.  
 Gaius nigris potuissem occumbere fatis,  
 Hoc pro quod pectus diligo Candidolum.  
 Aeternas mihi nunc lachrymas tristesque dolores,  
 Perpetuasque creas pectore tristitias.  
 Outinam per me vitali hac vescier aura  
 Posses: mercarer te propria hac animâ.  
 Sed quando hæc ita fata ferunt, quæ flectere nullis  
 Effusis precibus largiter usque queunt.  
 Quid queror? indulgere iuuat quid quæso labori  
 Infido? lachrymas littora surda bibunt.  
 Quid queror? Adiungo hæc Bauhofi pectore viue,  
 Carmine viue meo perpetuumque vale.

M. Alexander Bauhof. F.

## X XIII.

ἀναγραμματικῶς.

Christophorus Binderus Præsul Adelbergensis  
 Vir labi prudens; Christo Hospes Blande Resurges.

L 3

Felix

**F**elix ò nimium, quater, ò super omnia felix,  
 Qui verà didicit cognitione mori;  
 Namq; mori Christo, Christo bene surgere summum est,  
 Hoc Duce qui moritur, mox rediuiuus erit.  
 Ergò nec inuideo mortem tibi BINDER amande,  
 Quà cupis ad vitam tendere sydeream:  
 Nam bene vixisti! satis est, Dominog; sciebas  
VIR LABI PRVDENS, & superare necem:  
 Nil dubita; Christo tandem Hospes Blande resurges,  
 Et vitam in caelis usque beatus ages.  
 At tu Musarum fautor supreme mearum,  
 Et quondam studijs Rector amice meis,  
 Viue, vale, & gratam testantia carmina mentem,  
 Pro meritis summum hoc pignus amoris habe.

Andreas Fabri Philosophiæ stud.

XXV.

**Q**uid vultis, faciam? mea spes est unica Christus,  
 Huic viuo, huic morior. Coniunx charissima  
 te nunc

Postremùm amplector, meritò pars altera vitæ.  
 Delitiæque meæ; mea spes, mea sola voluptas;  
 Nobile dimidiumque animæ; coniunxit eodem  
 Nos thalamo lectus, vita mihi dulcis in omni  
 Vxor, & ad votum, quò me mea fata trahebant,  
 Fœmina nata meum, multos concorditer annos  
 Viximus unanimes, testantur pignora lecti;  
 Vnum velle fuit, fuit unum nolle, nec unquam  
 Lis tecum orta mihi, non sic in amore columbæ  
 Perpetuo viuunt. Mors ultima linea rerum.  
 Sat tibi nunc vixi, quem fata, Deusque sinebant,

Ab-

Absolui cursum, gemitu, magnoque labore  
 Constitit hæc mihi vita diu, sic cuncta peregi,  
 Quæ volui, aut fieri iussit diuina voluntas,  
 Odilecta mihi coniunx, dum vita manebat,  
 Iam tibi postremum vale dico; desine tantos,  
 Chara uxor, gemitus frustra profunderè demens.  
 Albus ut obscuro depellit nubila cælo  
 Sæpe Notus, terris neque sæuus parturit imbres  
 Perpetuos: sic tu tantam finire memento  
 Tristitiam: imposuit Deus hoc inamabile lignum  
 Ipse tibi, tecum quoque baiulus esse laborat,  
 Qui nunc dat viduum tibi me moriente cubile,  
 Ille tibi coniunx erit, optimus atque patronus,  
 Cur sic te crucias? non sum exvocabilis ullis.  
 Fletibus aut lachrumis, tibi qui satis antea vixi,  
 Viuo iam Christo; me cum volet hera, sequeris.

T v q u e H O L D E R E mei semper sincera voluptas  
 Pectoris, officio mecum quoque functus eodem,  
 T v mihi testis eris, cum venerit ultima mortis  
 Hora mihi, à recto non cedam tramite, semper  
 Vt docui, viuo, morior, sententia menti  
 Hæc infixæ manet, non me mors atra mouebit.  
 T v mihi testis eris, semel hæc meminisse iuuabit.  
 Nunc H O L D E R E vale. Vos pignora chara valete,  
 Viuite Nestoreos N A T I feliciter annos,  
 Este pij, nostrum semper defendite nomen,  
 Hæc postrema precor, Di vestra incepta secundent.  
 Tuque ades ante alios meritò dilectior omnes,  
 Filia pulchra, decus nostræ, S v s A N N V L A, stirpis,  
 Ah vale, decrepitam quæso ne despice matrem,  
 Hæc tibi sit curæ, quid sit matrem esse memento,

Sic

Sis studiosa viri. Nil luctus vesterinanis,  
 Nil lachrumæ profunt. Nos portitor horridus omnes  
 Expectat; sua cuique pari fors voluitur urna;  
 Mors hodie venit ægra mihi, cras venerit illa  
 Forfitan & vobis; Huic vitæ nemo superstes.  
 Nunc tendo ad superos, salue mî Christe redemptor, &c.

*Philippus Molitor Backhnan-  
 gensis, Ph. stud.*

## XXVI.

**G**estio quod tandem, gemitu quem sæpè vocavi,  
 Hic mihi supremus contigit orbe dies.  
 Sat feci; fidusq; meo sum munere functus;  
 Sat sacrata gravi scepra labore tuli.  
 Sat mundo vixi; mundi sat perfida vidi,  
 Facta suo quouis deteriora die.  
 Sat dure expertus dudum sum tristia sortis  
 Fata, mihi toties que male fida fuit.  
 Sat mea sera ætas conspersit tempora canis,  
 Sat possum multos enumerare dies.  
 Membra labant, tardos quatit eger anhelitus artus,  
 Vox fugit, effectus perq; manus tremulat.  
 Sat mea firmavit baculus vestigia, quem nunc  
 Flamma crematuris crispat auara focus.  
 Christum suspiro, Christum mea gaudia solum,  
 Christophorum omnipotens nunc gere Christe tuum:  
 Christe Dei soboles longo, quem tempore templis  
 Continuo viuâ voce professus eram.  
 Tu mihi sis baculus, dubios tu dirige gressus,  
 Ne decerem hoc durum dum tero mortis iter,  
 Sume animam, tibi quam luctantem dedico Soli,  
 Quæ labris errat penè soluta meis.

*Anti-*

*Antiquos repetat qua nunc & leta penates,  
 Auxiliatorem te gemit usque suum.  
 Ne moriar prorsus, maneat mea fama superstes,  
 Tamq̃, p̃js scriptis nunquam abolenda meis.  
 Sed gelida abscondat vacuum mihi terra cadaver,  
 Atque capax cineres colligat urna meos,  
 Dum caua terribili strepitu tarat ant ara celo.  
 Iudicium extremum surge boabit adest.  
 Nunc cedo moriens, lachrumis ab squalida coniux,  
 Salue perpetuum perpetuumq̃, vale, &c.*

Sebastianus Hemmingerus  
 Gröningensis, Ph. stud.

## XXVII.

**H**eu sua quis lachrimis non irriget ora profusis,  
 Quis non lugubri corda dolore premat.  
 Si causam nostris casus dedit ante querêlis,  
 BINDERI causam funera mœsta dabunt:  
 Eheu quale decus cecidit, quanta anchora multis,  
 Si quisquam dignus viuere, dignus erat.  
 Artibus insignis, pietate, fideq̃ue decorus,  
 Nec non eximiâ vir grauitate fuit:  
 Munere facundæ docuit sacra dogmata linguæ,  
 Viuida per CHRISTI pascua duxit oues.  
 Intra se positos, quos fors rerum indiga pressit,  
 Quo potuit studio iuuat & arte, manu.  
 Ut taceam quanto iuuenes quoque iuuerit auctu  
 Dotibus ingenij; commoda magna volens.  
 Hæc reputans lachrimis quis non riget ora profusis,  
 Quis non lugubri corda dolore premat.  
 Quisque virum gemitu reuocatum nolit adeste;  
 Quis non incuset iura seuera necis?

M

Quid

Quid superest tandem quod non mors dira prophanc,  
 In quo non aliquid iuris habere velit.  
 Nullius posito discrimine, parcit honori,  
 Inijcit in cunctos ô violenta, manus.

*DEFUNCTI RESPON-  
 sio ad querelam.*

**D**esine quisquis eris gemebundas fundere voces,  
 Desine, non obijt, quem tu abijisse doles.  
 Desineque in vitam manes reuocare caducam,  
 Arguere & lethum desine quisquis eris.  
 Non mors, sed mortis tantum me cêpit imago,  
 Non mors, sed tacitus somnus, amica quies.  
 Tu potius meliore statu gratare fruenti,  
 Qui tenet ætherei regna beata poli.  
 An non heus legem posuit mortalibus istam  
 Natura, ut subeant tristia fata semel?  
 Omne quod humano consistit semine cretum,  
 Fatalis sentit iura seuera Deæ.  
 Adde quod & multis obnoxia vita periclis,  
 Adde quod & nullus sit sine labe dies.  
 Insuper horrifonis Germania feruet in armis;  
 Omne nefas, fraudes, insidiæque valent.  
 Sic **D**EVS eripuit terris, terræque periclis,  
 Pacificâ voluit meque quiete frui.  
 Corpus humi tectum molli requiescit in urna,  
 Spiritus ast expers funeris, astra tenet.  
 Ergò quisquis ades potius gratare fruenti  
 Sedibus æthereis, æthereis que bonis.  
 Viue, vale felix, tibi fata benigna rogabis,  
 Felix qui **C**H R I S T I nomine nixus, obit.

AD

## AD DEFUNCTUM.

**E**Rgò vale, in Christo placidè Pater ergò quiesce,  
 Dum tuba de cœlo flata vocabit humo:  
 Iustitiæ sancto cùm tu stipatus amictu,  
 Absque notâ summi stabis ad ora DEI.  
 Omnibus electis nitidè PATER ecce nitesces,  
 Ut nitet æthereâ stella venusta domo.

## EPITAPHIUM.

Σῶμα τεθὲν χαμάδες καταπίνει; κῦδ' ὅπως ἂν  
 λάμπει; τ' ἔρανόθι πνεῦμα θεῶν δὲ βιοῖ;  
 Εὐγόμεν' ὅθ' ᾠδὴ παρῶν περὶ ἀνδρ' ἀναπαύλης,  
 Καὶ μάθε τὴν μοῖρὰν σου σφαλερὰν τρομέειν.

Ioannes Balthasarus Plenniger  
 Saxonillanus, Ph. stud.

## XXVIII.


**E**Rgò cadis letho, Binder, properante per-  
 emtus,

*Nec pietas mortem vicit auita tua.*  
*Ingeme plebs patriæ, scissisq; gemisce capillis,*  
*Cui pietas cordi, Relligioq; Dei.*  
*Nam cecidit Binder, qui fida columna sa-*  
*cratæ*

*Plebis erat, verbi qui tuba clara sacri.*

M 2

Quo



IO.H  
H  
C  
M  
Expri...